

aliis inserviunt, in iis acquiescendum non est, Instrumentales cau-
sæ aliis inserviunt. E. in instrumentalibus causis acquiescendum,
non est. *Item*: Quicquid substantiâ quavis deterius est, id substan-
tiam nullam producit. Accidens substantiâ quavis deterius est. E.
accidens nullam substantiam producit. In quibus argumentis re-
futandis quò majore fervore occupantur adversarii, eò minus præ-
stant. Videas hic alios subsidium quærerere fugâ ad Deum novâque
instrumentorum & accidentium elevatione; alios instrumento-
rum separatorum introductione; alios nudâ rei asseveratione.
Quos singulos refutat solidissimè *B. Sperlingius in Instit. suis l. 1. c. 5.*
q. 4. & vel ex ipsorum hypothefibus atq; asseclis, cum primis verò
rei veritate.

Secundum.

**Causa socia requirit operam similis non
tâm similitudine esentiæ, quàm influxûs.**

Fieri quidem volebat Naturæ Rector in naturæ operibus, ut
causa socia concurreret cum operâ similis similitudine esentiæ,
sicq; homo non misceretur cani, canis lupo, asinus eqvæ; Sed par-
tim propriâ animalium salacitate, partim vano hominum ausu atq;
instinctu ex asino & eqvâ mulus, ex eqvo & asinâ hinnus, ex par-
do & leonâ, leopardus, ex lupo & pantherâ lycopantherus, ex gallo &
pavone gallopavo nascitur. Homines enim, quæ sententia est *B. Sperl.*
l. c. q. 5. novitatis avidi ipsa animalia sæpè ab hac pravâ commistione
abhorrentia, incentivis veneris ad coitus illos compulerunt. Anima-
lia magnitudine non multum discrepantia & gestationis tempore
paria selegerunt, sociam à DEO & Naturæ concessam se junxerunt,
aliamq; diversæ speciei substituerunt, variisq; artificiis ardorem ve-
neris excitârunt, congressumq; detestandum & partum abominabi-
lem effecerunt. Neq; id satius erat, sed ipsi beluis se commiscuere,
ausuq; horrendo monstrorum partuum numerum ad auxerunt.
Pudet & illius & hujus rei exempla proferre, ejus qui legere deside-
rat, adeat *Job. Baptistam Portam l. 2. Nat. c. 12. alios.*

Tertium.

**Agentia naturalia actionum suarum inten-
dunt & cognoscunt finem.**

Negat